



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

II. Samueli adscribitur, ejusque probatur γνησιότης & antiquitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

DE LIBRO JUDICUM.

I. *Disputatur de Auctore libri Judicum. Variæ opiniones proponuntur.* II. *Samueli adscribitur, ejusque probatur ætatem & antiquitas.* III. *Refelluntur argumenta Adversariorum.* IV. *Secundum argumentum.* V. *Tertium argumentum.* VI. *Ex Judicium libro aliquot manarunt Græcorum, aliarumque gentium fabula ac ritus.*

Disputatur de Auctore libri Judicum. Variæ opiniones proponuntur.
Ibid Orig. libe. 6. cap. 2.

Samueli adscribitur, ejusque probatur ætatem & antiquitas.
Psal. 67. 8, 9.
Jud. 5. 4.
Psal. 96. 5.
Judic. 13. 5.
Matth. 2. 13.
Jud. 9. 53.

2. Sam. 11. 21.

Refelluntur argumenta Adversariorum.
Primum argumentum.
Jud. 18. 30, 31.

Psal. 77. 60.
62.

I. **L**IBRI Judicum magis etiam quam superioris Auctor ignoratur. Eum esse Librum bellorum Dei in libro Numerorum laudatum censuit Aben Ezra. Visum est quibusdam Judices ipsos sua in libro hoc gesta consignasse. Samueli adscribunt Isidorus, & Thalmudici Scriptores capite primo Babæ batræ, & R. Moses Kimchi Davidis frater, alii Ezechia, Esdræ nonnulli. Auctor Synopsicos De vita & morte Prophetarum, quæ Dorotheo tribuitur, scriptum fuisse ait in Tabernaculo, perinde ut librum Ruth, à Scribis nempe sacris.

II. Utcunque est, vetustissimum esse Librum hæc arguunt, quæ in sexagesimo septimo Psalmo legimus: *Deus cum egredereis in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est; etenim caeli distillarunt à facie Dei Sinai, & facie Dei Israël.* Delibata illa manifesto sunt ex his libri Judicum verbis: *Domine, cum exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, caligæ ac nubes distillarunt aquis.* Hæc deinde subnexa sunt: *Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Israël.* Hinc ista Psaltes expressit: *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini; à facie Domini omnis terra.* Ex eodem quoque Libro sumtum esse constat, quod per Prophetas dictum esse pronuntiat Matthæus: *Quoniam Nazareus vocabitur.* Scriptum præterea habetur in libro Judicum: *Et ecce una mulier fragmen mole de super jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.* Annon inde provenerunt illa libri secundi Samuelis: *Quis percussit Abimelech filium Jerobaal? nonne mulier misit super eum fragmen mole de muro, & interfecit eum in Thebes?* Quapropter ex iis quæ proposita sunt à me sententiis ad eam potissimum animus meus inclinatur, quæ Samueli libri auctorem esse decernit: ut pote cujus liber Esdra & Ezechia vetustior, verba libri Judicum repræsentet. A Judicibus vero ipsis scriptum fuisse verisimile non est, nam unius videtur textura opus, nec credi potest ea de se posteris tradere voluisse Abimelechum, vel potuisse Samsonem, quæ illic leguntur. Facilius assentientur Dorotheo, qui factum id statuit à Scribis sacris, modo gestarum rerum commentariis tantum ab iis scriptos, ex ipsis vero commentariis Librum à Samuele ipso decerptum & compositum fateatur, cum unius, ut dixi, texture, ejusdemque textoris opus esse appareat: id quod vel ex uno capite secundo cognoscitur, quo velut totius Libri summarium continetur. Neque vero probabile est Samuelem, cum Ebraicam Rempublicam Dei nutu & consilio restituendam suscepisset, præteritarum rerum, quarum auctorem Deum agnoscebat, memoriam ita neglexisse, ut Judicum historiam oblivione extingui & obsolescere pateretur; sed potius, pro injuncti sibi à Deo muneris ratione, ex Scribarum commentariis collectam concinnasse credendum est. Quamquam arbitrium quæstionis hujus unicuique permitto, dummodo concedatur genuinum esse Librum, quippe qui sit incerti Auctoris & temporis, qualis esse vulgo dicitur.

III. Neque me movent, quæ ad Libri hujus dignitatem labefactandam solent objici. Post captivitatem decem tribuum scriptum esse colligunt quidam ex his verbis capitis decimi octavi: *Posueruntque sibi sculptile, & Jonathan filium Gersam filii Moysi, ac filios ejus Sacerdotes in Tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ. Mansitque apud eos idolum Micha omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat Rex in Israël.* Ergo, inquiunt, jam creati erant Reges Israëlitarum, & tribus decem captivas abduxerat Salmanasar, cum hæc scriberentur. Frustra: nam Michæ idolum tum perierat, cum de Silo ablata est Arca, ut in prælium adversus Philistæos produceretur, quemadmodum aperte significat istud comma. Sublato autem idolo, quorsum idoli Sacerdos? Sublatus autem est & Sacerdos una cum idolo, & belli jure captus, una cum magna Israëlitarum multitudine: sic enim habet Psalmus septuagesimus septimus: *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus: & tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Deinde cum ait Auctor libri Judicum: *In diebus illis non erat rex in Israël,* liquido indicat